B. N. C.
FIRENZE
1034
24

XXIV
BOTON
16
XXXIV

XVII
ONO:
1034.24

ANTONII BONONII PONTREMULENSIS I·C·

ORATIO DE PACE AD POPULUM GUASTALLENSEM.



MANTVÆ, Ex Officina Typographica Aurelij, & Ludouici Oſannæ fratrum, Ducalium Impreſſorum. 1621.

Superiorum permiſſu.

1034-24

ILL.MO D. MORELLO MALASPINÆ MARCHIONI MVLATII ET PARANÆ SVPERIORIS, DOMINO SVO.

Antonius Bononius I. C. S. D.

CVM apud gentes etiam ab omni cultu, atque humanitate alienas coli conſueuerint ſumma cum religione, qui de alijs benemeriti eſſent; illud omnino mihi faciendum eſt, Illuſtriſſime Domine, vt & Te, vnde tot, tamq; luculenta in me confluxerunt beneficia, ſummopere colam, & gratum animum, vt nunc eſt, præ me feram. Quare, cum hanc de pace orationem in maximis meis occupationibus aliorum iuſſu conſcripſerim, illam Tibi, vt ſit quoddam quaſi pignus meæ ſingularis in te obſeruantiæ, perpetuumq;

exſtet gratæ voluntatis monumentum, offerri placuit, tuoq; Illuſtriſſimo nomini, pene dixi, numini, quippe cuius ſplendore illius obſcuritas quàm maximè illuſtrabitur, conſecrari. Hanc igitur, licet ſit munus perexiguum, tuoq; Illuſtriſſimo generi minimè congruens, Te, qua præfulges humanitate, ſupplex oro, vt hilari fronte accipias, maiora fortaſſe, ſi mea patria ſidus me benignè adſpexerit, accepturus. Interim DEVM *enixè deprecari non deſiſtam, vt Te tuo populo, cuius ſalus tua potiſſimum nititur, & mihi, quem ſingulari in Te ſtudio, & ſpectatiſſima in nobiliſſimam* MALASPINARVM *gentem fide eſſe cognoſcis, incolumem conſeruet, vt illi diu præeſſe poſſis, & me decumanis moleſtiarum fluctibus iamdiu iactatum, adſpirante tui fauoris aura, eouſque prouehere, quoad ſcopulis, vnde naufragium timetur, euitatis, Te duce optatum portum tandem aliquando capeſſam. Vale.*

GVASTALLÆ, *Idibus Maij* CIↃ IↃ CXXI.

ORATIO.

ETSI pudor, quem mihi natura tribuit, me ſatis deterrebat, auditores ornatiſſimi, quominus ego omnium infantiſſimus in hunc honeſtiſſimũ locum, qui diſertiſſimo cuiq; patere conſueuit, aſcenderem; tamen ne eorum preces aſpernari viderer, qui me, vt ad vos de pace verba facerem rogarunt, mihi faciendum putaui, vt ad huius amplitudinem loci venirem, longè ſatius eſſe exiſtimans, me eorum precibus huc accedendo, cedere, quàm illis haud cedendo, ad hunc locum non accedere. & quamquam dum mihi in mentem veniebat, hinc mea hominis ad ſenium vergentis infantia, ingenijq; imbecillitas, illinc huius loci amplitudo, & præſtans omnium veſtrum doctrina, animo prorſus deficiens à propoſito dimouebar: tamen cũ mihi in mentem venit veſtræ ſingularis, atq; eximiæ humanitatis, quæ quidem tanta eſt, quanta maxima eſſe poteſt, tantum animi ſumpſi, vt hunc ornatiſſimum locum conſcendere, non dubitauerim, in tanta doctiſſi-

morum virorum corona verba factuᵹus. Dicam igitur, pro eo quantum mea tenuitas feret, de pace. Quod argumentum mihi ab ijs præfinitum, qui haud finitum in me ius, & imperium habent, cum ſit eiuſmodi, vt nemini deeſſe poſſit oratio, hanc meam orationem ita temperabo, vt, quemadmodum ego non copiam, ſed modum in dicendo quæram, ita vos in hac mea oratione copiam potius, quàm modum requiratis. Sed vt ad dicendum de re, quæ mihi propoſita eſt, ingrediar, licet illius dignitas ſatis magnam audientiam ſibi factura eſſe videatur: tamen conſuetudine magis, & vt meum ſolemne teneam, quàm quod ita neceſſarium iudicem, petam à vobis, vt mihi breuiter dicere meditanti breuis temporis attentionem præſtare, non grauemini.

Inter cætera bona, quibus genus humanum in hoc terrarum orbe maxima cum iucunditate fruitur, pax maximum Dei omnipotentis bonum iure optimo, meritoq; mihi videtur principem locum obtinere. & ſanè quid mortalibus à Deo immortali datum eſt ipſa pace præſtantius? quid dignius? quid maius? quid melius? hæc enim eſt firmiſſimum vitæ, atq; ſalutis propugnaculum, certiſſimum malorum perfugium, tutiſſimum bonorum receptaculum; hæc tranquilla mentis ſerenitas, ſerena animi tranquillitas, ſyncera candidi pectoris ſimplicitas; hæc deniq; eſt gratiſſima laborum quies, arctiſſimum amoris vinculum, ſanctiſſimum caritatis conſortium. Pax ſiquidem homines communi quodam vinculo, ac nexu caritatis inter ſe coniungit, & quaſi in vnum corpus coagmentat, amorem conciliat, & ne qua ex parte diſſoluatur, efficit, placidam quietem, quæ laborum ſolatium eſt, parit, & vt mortales immortalium hoc eſt beatam vitam in terris degant, perficit; pax ſi-

multates

multates tollit, ſimulationes ab hominum pectoribus amandat, animi perturbationes ſedat, tranquillitatem adducit, diſſenſionum nebulas fugat, & optatam ſerenitatem reducit; pax denique omnia bona ſuo quaſi ſinu excepta fouet, mala, quorum præteritorum iucunda eſt recordatio, expellit, & hominum vitam, atq; ſalutem ſartam, tectamq; conſeruat. O præſtantem pacis vim, ò admirabilem præſtantiam, ò dignitatem eximiam, atq; omnium non modo linguis, verum etiam litteris, monumentisq; decorandam. O terram ter, & amplius felicem, cui à Deo munificentiſſimo bonorum omnium largitore datum eſt, vt pax prædiues, & candida nunquam de illius poſſeſſione deturbetur: vbi enim pax habitat, non tanquam in diuerſorio commoratur, ibi nihil deſideratur eorum, quæ ad bene, beateq; viuendum valent, inibi namque varia feruent opificum opera, calet mercatura, bonæ artes exercentur, diſciplinarum ſtudia coluntur, ad chriſtianam pietatem tenelli informantur puerorum animi, ſplendet nobilitas, plebs non ſordet, non tenetur odium, retinetur amicitia, vitia non coaleſcunt, floret pietas, viget religio, iuſtitia regnat, omnes virtutes dominantur, &, vt breui comprehendam, omnia pacata, omnia tuta, omnia felicia apparent, vt non iniuria ſacræ litteræ ſummam felicitatem pacis nomine ſignificare voluerint, & Chriſtus Dominus, & Saluator noſter Apoſtolos, quamcunq; domum illi ingrederētur, ei pacem nunciare, & precari iuſſerit. Res tanto eſt præſtantior, quanto maior eſt Princeps, & inuentor illius. Pacem autem cum optimum, atq; maximum Dei Optimi Maximi donum eſſe nemo quiſquam inficiari poſſit, quis eat inficias, eam rem eſſe rerum omnium optimam, omnium maximam, omnium præſtantiſſimam? Quis

diuinis

diuinis eam laudibus non efferat? Quotus quiſque eſt, qui illius laudes ſe conſequi poſſe confidat? nullius quidem certè tanta eſt vbertas ingenij, nulla dicendi tanta vis, tantaq; copia, quæ eximias rei tam dulcis, tam iucundæ, tam ſalutaris laudes aut percurrendo dicere, aut dicendo percurrere, valeat. Pax porrò, quippè quæ ſit grata pueris, accepta adoleſcentibus, iucunda viris, dulcis ſenibus, delectabilis omni ætati, omni ſexui, omni ordini, eſt tale, ac tantum bonum, vt quemadmodum Diuus Auguſtinus, auguſtiſſimus ſacroſanctæ Eccleſiæ Doctor ait, in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, nihil vtilius poſſideri, cuius quidem ea eſt iucunditas, vt non ſolum ij, quibus natura ſenſum dedit, verum etiam ipſa tecta, & agri lætari, & ipſamet terra, in qua pax reſidet, cum ipſo cœlo, vbi præcipuum eſt, & perpetuum pacis domicilium, certare quodammodo videantur? Illud verò verum eſt, auditores, pace gentes omnes vſque adeò duci, & delectari conſueuiſſe, vt illi tanquam numini erectas aras conſecrare, diuinosq; cultus adhibere, non dubitarint. & verò cum Timotheus Cononis filius, & Athenienſium Imperator acie Lacedemonios deuiciſſet, parta victoria, & pace toti regioni comparata, tanta Atticis omnibus oborta eſt lætitia, vt multas aras paci vno ferè tempore ipſi Attici extruxerint. Quid? Romani ſago, togaque clari pacem quaſi numen aliquod tàm religioſè coluerunt, vt magnificentiſſimum pacis templum, quod à Claudio inchoatum Veſpaſianus exædificandum curauit, in quo & Hieroſolymitani templi vaſa, & donaria ab eodem Veſpaſiano repoſita eſſe memoriæ proditum eſt, tanto concurſu, tàmq; frequenti celebritate frequentauerint, vt auguſtiſſimum illud templum, quod omniũ

erat

erat maximum, anguſtiſſimum eſſet. Sed quid ego, quæ à noſtra memoria longiſſimè abſunt, perſequor? nonnè vel noſtra, vel certè proxima ſuperiore ætate omnis Gallia, & Hiſpania, atq; tota ferè Italia, ſe pacem venerari, & ea maximè capi, atq; oblectari, oſtenderunt, cum inter duos potentiſſimos Reges Henricum Galliæ, & Philippum Hiſpaniæ Regem ſanctiſſima ſolidiſſimæ pacis fœdera icta ſunt, & percuſſa? Tunc enim lætitiæ ergo indictæ ſunt feriæ, dies feſti acti, ludi publici celebrati, ſpectacula exhibita, epulæ populo datæ, arcus triũphales erecti, ſupplicationes decretæ, viæ confertiſſima hominũ multitudine, qui ad ſacras ædes confluebant, arctatæ, ſacrificia ſolemni ritu, maximisq; ceremonijs peracta, atq; gratiæ Deo immortali pro tam immortali bono actæ; Tunc quaſi ſymphoniaco æris campani tinnitu, & publicè gratulantium vocibus perſonabant omnia, omnia tubarum clangore, lituorum ſonitu, ſtrepitu tympanorum, atq; reboantibus minorum, maiorumq; tormentorum bombis quaſi tonitruis, ſubſultante terra, cœlo remugiente, percrepabant; tum igneis miſſilibus cuiuslibet generis, alijs quidem vi nitrati pulueris rectè, alijs obliquè, & arcuatim, alijs multiplici, vel flexu, vel gyro per aëra tendentibus, alijs non ſolum per aërem, verum etiam per terreſtre ſolum ſerpentium in morem ſerpentibus, alijs etiam de induſtria ex æquo loco ad turbam diſturbandam in terram proiectis, mirum quantum ſpectantium oculi oblectabantur. Tunc denique piceis ſpiris, quæ ex omnibus turribus cum ſacris, tum profanis, ex omnibus ædificijs, vel publicis, vel priuatis dependebant, ardentibus, & crebris luminibus per domorum feneſtras diſpoſitis, pyrisq; paſſim incenſis, omnes vici, omnes viæ, omnes plateæ, omnia deniq; loca tam longè,

lateq́; collucebant, vt noctis ipſius tenebras, vel lucediurna clariores, non immeritò dicas fuiſſe. Quid multa? pagi, & villæ ſuos ignes nocturnos, ſuas faces pyrasq́; habebant, quibus eam, quam ex hac pace perceperunt, lętitiam claram facerent, & teſtatam apud omnes relinquerent. Iam vero pacem bonorum omniũ parentem cuiq; Reip. ſiue illa ab vno, ſiue à paucioribus, ſiue à populo regatur, per quam neceſſariam eſſe, nemo eſt, qui poſſit ambigere. Enimuerò illa ſuum locum in Repub. obtinente, omnia ſuum ſtatum tenent, ibi namq; artifices eam, quam nouerunt, artem exercentes ſibi, & liberis ſuis victum parant, ſæpe & diuitias comparant, inopes alienis adiuti opibus ſuam ſuſtentant inopiam, qui miſerrima affliguntur fortuna, aliorum fortunis ſubleuantur, boni honore, & præmijs, mali dedecore, & pœnis afficiuntur, bonæ artes coluntur, excoluntur litteris adoleſcẽtes, ad Chriſtianam religionem pueri inſtituuntur, pupilli, & viduæ ſuis non deſtituuntur auxilijs, omnes omninò ciues, & inquilini, vel in maximo negotio ſummo otio, & optata tranquillitate perfruuntur. Neq; verò pax intra murorum ambitum, & vrbium pomœria ità ſe continet, vt etiam foras, & in agros non excurrat, nam ea vigente aruum ſolum non vno ſolũm, verum etiam multiplici ſulco ſeritur, arbores, quibus vites adhereſcant, ponuntur, ſæpè etiam in quincuncem diſponuntur, vetera cuiuslibet generis arbuſta, quoad eius fieri poteſt, conſeruantur, & noua etiam ponuntur, fructeta ſuis onuſta fructibus conſpiciuntur. quid quod? prata rident, flores vernant, & ſæpenumero etiam perennant, gemmant vites, & vuam producunt, quæ ex protuberante gemma erumpens ſe ſe oſtendit, & terræ ſucco, ſolisq́; calore augeſcens, primùm eſt peracerba guſtui,

deinde

deinde maturata dulceſcit, atq; vt paucis complectar, omnia ſegetibus, pratis, vineis, arbuſtis, hortis, viridarijsq; adeò læta apparent, vt aſpicientium oculos ſine ſatietate delectent, & non conſitiones modò, ſed etiam inſitiones, quibus agricola nihil inuenit ſolertius, ſuam & eam non mediocrem delectationem habeant, vt mirum non ſit, ſi ille cecinerit.

Pax arua colat, pax candida primum
Duxit aratores ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ,
Funderet vt nato teſta paterna merum.

Pax, auditores, eſt bonum eiuſmodi, vt nihil earum rerum, quæ natura conſtant ſine illius adminiculo ſtare, & conſeruari poſſit. Atq; vt rem paulò altius repetamus, fuit quondam communis eorum, qui ſe totos naturæ contemplationi tradiderunt, ſententia, quondam fuiſſe quandam molem, & aggeſtam, atq; adeò indigeſtam rerum omnium congeriem certa forma, ac ſpecie carentem, in qua omnia ità confuſa erant, vt grauia leuibus, leuia grauibus, humida ſiccis, ſicca humidis, frigida calidis, calida frigidis infeſta eſſent, aliaq; natura aliam ſibi contrariam non expellere ſolùm, verum etiam prorſus delere niteretur; hanc confuſionem, pace firmiter conſtituta, ſublatam fuiſſe, cum præpotens ille Deus ſua omnipotenti virtute fecit, vt quæ leuia eſſent ſuperiorem partem, quæ grauia inferiorem capeſſerent; & cœlum admirabili celeritate conuerſum, hæc omnia complecteretur, cum iuſſit aërem ab æthere ſeiunctum, illiusq; ardore temperatum frigidæ atq; humidæ naturæ circumfundi, telluremq; ſuis examinatam ponderibus in media mundi parte conſiſtere, & in ea montes extolli altius, attolli colles humilius, deprimi valles, & plurima

camporum longè lateq́; patentium æquora, & aliam atq; aliam planiciem extendi. Ex quo factum eſt, vt ſingula quæque elementa non modò non repugnent, ſed admirabili quadam ratione inter ſe conſentiant, nobisq́; documento ſint, hanc ſanctiſſimam pacem inter nos coli, & conſeruari debere. Quod ſi, dum in cœlum ſuſpicitis, ad cęleſtes illos orbes animũ, cogitationemq́; concertatis, cognoſcetis profectò, eos quaſi pacis fœdere itâ aptos inter ſe, & coniunctos eſſe, vt alius alij ad ſuum curſum peragendum impedimento eſſe non queat. Si verò quadripartitam anni temporum varietatem reſpiciatis, facile perſpicietis illa varietate nihil eſſe coniunctius, & quatuor anni tempora pacem tantopere tueri, vt veri æſtas, æſtati autumnus, autumno hyems ſuccedat. Sed quid ego in elementis, & orbibus cęleſtibus, atq; in ipſis anni temporibus vim pacis vobis ſpectandam propono? non nè in noſtris tum animis, tum etiam corporibus, quãta ſit illius vis, experimur, cum duæ animi partes, ea nimirum, quæ in ratione, & ea quæ in appetitu poſita eſt, ita inter ſe conſentiunt, vt ratio imperet, obtemperet appetitus, & humores, quibus noſtrum corpus temperatum eſt, vſque eo pacem inter ſe ſeruant, vt illius ſanitatem, ſalutemq́; conſeruent? Omnia ſilicet, vt ſui conſeruationem nimium quantum appetunt, ita incredibile dictu eſt, quantum expetant pacem omniũ rerum conſeruatricem, & ad optimum vniuſcuiuſque bonum pertinentem. atqui cum in rebus publicis, & ciuitatibus genus quoddam felicitatis ſit, diuturna, conſtantiq́; pace potiri, propterea nihil non tentandum, nihil non agendum, qui etiam omnia vincenda, & peruincenda ſunt, vt vel pax amiſſa reparetur, uel ſeruetur integra, & vires acquirens in dies magis augeatur. Quò
circa

circa ſummis in Cœlum laudibus efferendi ſunt illi vel principes, vel rerum publicarum moderatores, qui ſummos, medios, atq; imos ità regunt, vt nullus excitetur tumultus, nulla cooriatur perturbatio; & ſi quando, vt aſſolet, fit, vt primores inter ſe diſſidentes vulgus in partes diſcindant, primo quoq; tempore accurrunt, vt hiſce animorum diuortijs occurrant, atq; ſua auctoritate eos vel placant, vel etiam compeſcunt, ne huiuſmodi ignis tanquam violentis ventorum flatibus abreptus vicinis tectis adhæreſcat, & totam depaſcat rempublicam, & ciuitatem. Pax, vel etiam pacis nomen liquidiſſima quadam voluptate animos hominum perfundere ſolet, quam quidem ſæpè votis nuncupatis expetunt, tam ij, quibus ſalus; quam ij, quibus gloria cariſſima eſt, victi dico, & victores. Hinc Annibal ille Pœnorum dux, & totius Italiæ pacis diſturbator, crebris id vſurpabat ſermonibus, certam pacem meliorem eſſe, quam ſperatam victoriam; & Cicero alias dicebat, ſe qua uis iniquâ conditione pacem optare, alias pacem, vel iniuſtam iuſtiſſimo bello eſſe vtiliorem, alias etiam eandem vel iniquiſſimam, quamuis iuſto bello, anteferendam. Et ſane nullus eſt modo ſanus ſit, & bonus, quem belli ſuſcepti, victoria etiã relatâ, non pęniteat. Etenim ſi in hanc partem aſpectum refert, conſpicit exhauſtam plebem, nullam fermè nobilitatem, priuatos luminibus ſenes, orbos parentibus liberos, funeſtas domos, relictas viduas, conſtupratas virgines; ſi in illam, vaſtatos latrocinijsq; infeſtos agros, diſturbatas domos, direpta templa, deiecta męnia, atq; vt ſtrictim comprehendam, de ſuo ſtatu detruſa omnia tali tantaq; animi moleſtia intuetur, vt quando tot, tantaq; mala victoriam excipiunt, luctum potius, quàm voluptatem ex ipſamet victoria percipiat. Atqui in bello

ſæpe

ſæpe fit, vt vtraq; pars, magnis illatis, & acceptis vulneribus, intereat, & victi ſimul cadant, & victores; hi quaſi ſerpentes, qui, elephantos dum perimunt, pereunt; illi non ſecus atq; elephanti, qui, dum concidunt, ipſos ſerpentes occidunt. Pax amplius, quippe quæ propinquum propinquo, ciuem ciui, hoſpitem hoſpiti, & omninò hominem homini conciliat, eſt in rep. idipſum, quod in corpore humano ſanitas, vt enim hæc humorum, & qualitatum, ita illa multorum animorum proportio eſt, & temperies. Quapropter non facilè dixerim, quibus, & quam multis laudibus cumulandi ſint ij principes, qui, quemadmodum prudentes medici ſanitatis gratia medicamenta lenia primum adhibent, atq; iterant, quæ ſi minus proſint, acria proferunt, putriaq; membra præcidenda cenſent, vt ſana conſeruent, ita ipſi modos principio mites ineunt, repetuntq;, ſi forte ad reip. pacem conferant, qui ſi minimè proficiant, proteruos tanquã membra putrefacta præcidi iubent, ne reliquum corpus inficiant, id quod iam priſcus obtinuit mos, vt ille cecinit.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Hæc ſancta pax religione christiana, eaq; catholica, ſine cuius adminiculo regna ſtare nõ queunt, quam maximè coaleſcit. Hinc videmus, eas regiones, & prouincias, in quibus ipſa floret, maxima pacis tranquillitate florere, & contrà in quibus eadem cecidit, eas hoc tam ſalutari bono excidiſſe. Atq; vt cæteras miſſas faciam, quis eſt, qui ignoret, Italiam, quæ catholicam religionem castè, integreq; colit, & inuiolatam conſeruat, in tranquilliſſima pace verſari, & ſi qua bella excitata ſunt inibi ſtatim quaſi diuina manu fuiſſe reſtincta, Hiſpaniamq;,

quippe quæ illam non modò integram, incorruptamq; in ſe retineat, verum etiam alibi retinendam ſuis armis, ac potentia curet, ſecuram admodum, & quietam exiſtere, ob eamq; rem in ſummo rerum eſſe faſtigio? Quotus quisq; eſt, qui neſciat, quantas calamitates, tanto bono ob ſpretam religionem amiſſo, paſſa ſit Gallia, quantas Belgium, quantas Anglia, & Scotia, quæ ambæ etiam nunc miſerrimæ ſunt, quòd à Sanctiſſimo Romano Pontifice deſciuerint? Et quem præterit totam pęnè Aſiam, & maiorem Affricæ partem, ob amiſſam religionem, pace deſtitutam miſerrima affligi fortuna, necnon duriſſima, & tyrannide, & ſeruitute premi? Neminem fugit Grçciam omnibus excultam diſciplinis, maximamq; firmam opibus, præſtātiſſimis affluentem ingenijs, & multis ciuitatibus liberis florentem, quòd ſe ad ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ ritus conformare noluerit, nunc prorſus deformatam, atq; de pacis poſſeſſione deiectam omnem cultum, omnem doctrinam, opes, ingenia, libertatem, veram deniq; vitam amiſiſſe? Iam verò mecum reſpicite, in quas ærumnas inciderit Germania, & Boemia, vbi bello ſæuiente, ecce, proh dolor, acerba venerandarum imaginum deiectio, nefaria templorum ſpoliatio, miſeranda domorum direptio, iniquiſſima religioſorum ſodalium è ſuis cęnobijs, & collegijs expulſio, violenta ſacrarum virginum conſtupratio, indigniſſimæ bonorū cędes, iniuſtiſſimæ catholicorum proſcriptiones, nobilium, vel etiam acerbarum virginum raptus, matronarum dedecus, morientium vlulatus, incendia, ruinæ, vaſtitates, vt ad deplorandam illarum calamitatum partē, cùm Lucano iure optimo videatur dici poſſe,

Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur
Enſis, & à nullo reuocatum è pectore ferrum:

Stat

Stat cruor in templis, multaq́, rubentia cęde
Lubrica ſaxa madent, nulli ſua profuit ætas.

Hinc porrò cognoſcant omnes ciuitates, ſi ſuum ſtatum tenere velint, quàm neceſſarium ſit, hanc ſanctam religionem retinere, & ſanctiſſimis Romani Pontificis pedibus ſe ſe ſubmittere. Hinc diſcant reſp., ſi florentes eſſe cupiant, religioſos homines, qui vt alijs dent vitam, ſacris ipſi immoriuntur chartis, extra ſuos fines eijci non oportere; Hoc ſemper cogitent, religionem neglectam, aut prolapſam, vel florentiſſimas reſp. ſecum vſque traxiſſe, hominesq́; temeratæ religionis pœnas dediſſe, vt haud vanè profanus ille vates cecinerit.

Dij multa neglecti dederunt
Heſperia mala luctuoſæ.

Sed vt vnde digreſſa eſt, eò reuertatur oratio, pax, ipſa non victo ſolùm, ſed etiam victori honeſta, vtilis, & tuta eſt. nam quid eſt honeſtius, quàm cum victoriam propè in manibus habeas, pacem non denegare? quid vtilius, quàm pace candida, quæ vltimus belli finis eſt, frui? quid deniq; tutius, quàm timere incertos belli euentus, & Martem cõmunem, qui ſæpè ſpoliantem, & exultantem euertit, & perculit ab abiecto, euitare? Quare neminem eſſe arbitror, qui dum mens illi integra ſit, bellum cum pace commutet: ſiquidem, illo vrgente, liberi cum magno parentum luctu cadunt, & parentes cũ non paruo liberorum damno, & dolore mortem oppetunt; & perſæpè, quod ad augendum dolorem plurimum valet, parentes filiorum, & viciſſim filij parentum mortem videre coguntur; hac autem florente, ſalui ſunt liberi parentibus, ſalui parentes liberis, ſalua deniq; omnibus omnia: vnde optimè Silius.

Pax optima rerum,
quas homini nouiſſe datum, pax vna triumphis
innu-

innumeris potior.

Quamobrem Cræſus Lydorum Rex propterea pacem bello prætulit, quòd in pace liberi parentes, in bello contra parentes liberos ſepelirent, & Antoninus non minus re, quàm cognomento Pius, cum pacem bello potiorem haberet, celebratiſſimam illam Scipionis ſententiam, vt ſemper in mente, ita ſæpe in ore habebat, ſubinde dicẽs, ſe malle vnum ſeruare ciuem, quàm mille hoſtes perdere. Sed quid ego extera in medium affero, cùm domi, quæ proferantur, habeamus? enimuerò quis pluris pacem facere potuit, quàm optimus Princeps veſter FERDINANDVS? is enim vos omnes amans, vt benignus pater liberos, ob eamq; rem non tam ſuam, quam veſtram ipſorum tranquillitatem ante oculos habens, cũ ab hinc duos annos, & ſeptem menſes, tumentibus in dies magis ob Padi innundationem negotijs, res ad arma ſpectaret, atq; exiſtentibus, hinc Guaſtallenſibus, & Mantuanis, illinc Regienſibus, & Mutinenſibus, nihil propius eſſet, quàm vt ad manus veniretur, omnes illos impendentis belli tumultus, ſua incredibili ſapientia ità ſedauit, vt omnibus diſſidiorũ nebulis prorſus diſcuſſis, tranquilliſſimę pacis ſerenitatem reduxerit. Pace autem turbata, quot turbæ, quæ iurgia, quæ ſeditiones excitantur? quibus damnis domus & familiæ, quibus incommodis Reſp. & Ciuitates, quibus malis Regna, & Prouinciæ nõ afficiuntur? Hoc ipſum cum animaduerteret Federicus Imperator grauiſſimè in eos animaduerti iuſſit, qui pacem turbaſſent, & vt pacis amantiſſimus erat, ità ſuis ſanctionibus varias pœnas in pacis violatores conſtituit, quas in præſenti recenſerem omnes, niſi vererer, ne vobis, qui me veſtra præſentia cohoneſtare haud grauati eſtis, moleſtus eſſem. Neq; verò ab hominibus ſolùm, verum

etiam à Deo veræ pacis auctore, qui pacem conturbant, plectuntur: id quod, vt alios præteream, quos nimis longum eſſet in præſentia commemorare, ſuo, & periculo, & maximo malo didicit Palatinus Elector, qui ſuo non contentus, alieni appetens, & occupator, dùm quaſi turbo omnia percellere ſtudet, ecce repente perculſus, & ijs, quæ occupauerat amiſſis, & ſuis in dubium vocatis, non tam humana, quam diuina manu victus, fugatusq; eſt, eiusq; exercitus, qui viribus integer erat, & numero militum locorumq; ſitu longè ſuperior, partim cęſus, partim diſſipatus, vt iure optimo Maximilianus Sereniſſimus Bauariæ Dux, & inuictiſſimus Imperialis exercitus Imperator, cui ſua virtus æternum nomen, & immortalem gloriam apud omnes peperit, tam glorioſam victoriam, quæ periculoſiſſimum bellum paruo noſtrorum non periculo, ſed damno explicuit, vni Deo acceptam referens, ſuis litteris ad Paulum V. Pontificem Op. Max. ſcribere potuerit. Veni, Interfui, & Deus vicit: atq; omnis Pragenſium Catholicorum multitudo portis effuſa huic fortiſſimo Duci obuiam facta, vniuerſos quidem milites, ſed hunc præcipuè miraretur, in hunc oculos, & ora converteret, hunc quaſi de Cœlo miſſum, vt & ipſam victoriam fateretur. Nunc autem, vt magis planũ fiat, pacem expetendam eſſe, bellum verò fugiendum, peto à vobis, vt mihi (cum veſtra bona venia) liceat etiã pauca quædam de pace ſimul, & bello dicere, & quidem, vt Euripidem mittam, qui pacem ſanitati, bellum autem morbo comparabat, res ità habet, vt dico. Quantum omnes calamitates vna belli miſeria ſuperat, tantũ cunctis felicitatibus humanis, omnibusq; triumphis vera pax antecellit; id quod vel ex eo cognoſci poteſt, quòd in pace hæc inſunt bona, fertilitas, abundantia, diuitiæ,

opes,

opes, vitæ iucunditas, corporis quies, mentis tranquillitas, principis, optimatum, & populi totius ſalus, iuris diuini, & humani incolumitas, omnium artium, omnium diſciplinarum, omnium bonorum, omnium virtutum conſeruatio; addo, quòd pacis tempore vrbes, & oppida ædificantur, ædes publicæ, & priuatæ extruuntur, ædificia labentia inſtaurantur, collapſa reſtituuntur, virgines feliciter nubunt, bonæ conſuetudines vigent, honeſtæ voluptates creſcunt, fit cętus ciuium frequentior, efficitur pauperũ quæſtus vberior, euadit diuitum opulentia ſplendidior. contra, in bello hæc mala reperiuntur, ſterilitas, penuria, paupertas, inopia, triſtitia, corporis, & mentis perturbatio, totius Reip. ſtatus euerſio, iuris diuini, & humani violatio, omnium artium, & diſciplinarum ruina, omnium bonorum expulſio, omnium virtutum exterminatio. Huc accedit, quòd belli tempore paſſim lamentis ciuitates replentur; & mercatoribus, hoſpitibus, atq; inquilinis deſtituuntur, ciues maiorem in modum decreſcunt, pauperes fame pereunt, diuites ad ægeſtatem redigũtur, vrbes, & oppida excinduntur, atq; omnia ferro, flamma, vaſtitate conſumuntur: In pace præterea homo eſt ſui ipſius dominus, in bello autem armorũ ſeruus efficitur: in pace ciues præcipuè, in bello verò peregrini, aut etiam hoſtes aluntur; Nulla pax, quamuis iniqua, extitit, quæ plurimum boni nõ attulerit; nullum bellum tam felix, quin plurimum mali importauerit, quo peruadente cum gemitu, & lacrimis cernas refertas cadaueribus vias, vndantes ſanguine humano campos, tincta cruore flumina, aliaq; ſuper alia ſcelera, & flagitia; vnde ſcitè Seneca.

Tum ſcelera dempto fine per cunctas domos
Iere, nullum caruit exemplo nefas.

Ex quo illud conſequitur, pacem eſſe omni ætati, omni ſexui maximè ſalutarem; bellum autem cunctis hominibus, atq; etiam victoribus ipſis ne dum victis valde exitioſum. nam plerumq; contingit, vt quanto quis excedit bello felicior, tànto nequior diſcedat; atq; ad quodlibet immanitatis flagitijq; genus audacior, & ſæpè fit, vt victus corruens victorem elidat. Hinc illud Sybillæ oraculum,

Nec victus, ſed victorem mors atra peremit.

Sed enim nimio conſtat victoria, quæ humano ſanguine emitur. Hinc toti Græciæ, quippe cui tot millia hominum in bello Troiano perierint, capta Troia permagno conſtitit; quapropter non minus argutè, quàm verè Pyrrhus Epirotarum Rex cum duobus prælijs Romanos deuiciſſet, multosq; cum duces, tum amicos amiſiſſet, ſi adhuc ſemel, inquit, Romanos vincemus, actum eſt de nobis: & Ageſilaus, cum ad Corynthum Lacedemonij Athenienſes ſuperaſſent, multitudine occiſorum audita, manantibus præ dolore lacrimis, exclamauit; ò infelicem Græciam, quæ tantum hominum ſibi ipſa exhauſit, quantum ad omnes Barbaros ſuperandos ſatis ſuperque fuiſſet. O beatas igitur Regiones, quæ tam iucundo, tam ſalutari, tam neceſſario pacis bono fruuntur; ibi enim nihil deeſt eorum, quæ vitæ ipſi præſidio ſunt, & ornamento: ò ter, & amplius felices populos, qui ſub felici Mineruæ arbore conquieſcunt: ò contra infelices populos, & prouincias, à quibus tale, tantumq; bonum abeſt.: illis enim ea, quæ vitam tuentur, & ornant, maiori ex parte deſunt. Felix propterea appellari poteſt Hiſpania, quæ ſuorum religioſorum Regum, quorum opibus, & potentia totius Reip. chriſtianæ incolumitas nititur, beneficio, tranquilliſſimo otio fruitur, vbi hac de cauſa ſummi

mi ſunt Theologi, ſummi Philoſophi, ſummi Iuriſconſulti, omneſq; virtutes, quæ bono & chriſtiano, & ciui conueniunt, florent. Felix vocari poteſt Hetruria, quæ ſumma in pace verſatur eximia virtute, atq; ope primũ Coſmi primi magni Hetruriæ Ducis, clariſſimi omnis memoriæ luminis, qui & nominis ſui gloria totum terrarum orbem impleuit, &, cùm inuictiſſimum D. Stephani Equitum ordinem virtutis florem, decus honeſtatis, fortium virorum ſeminarium, chriſtiani nominis propugnaculum, atq; immanis Turcarum tyranni terrorem, inſtituerit, hac etiam ætate rem chriſtianam tutatur: poſt Franciſci magni, qui iuſtitiæ columen, cæterorumq; norma Principũ & habebatur, & erat; deinde maximi Ferdinandi, quem ſui populi verebátur potius, quàm metuebant, cuiuſque auguſtiſſimũ pectus, quaſi gratiſſimum aliquod domicilium, templumque, prudentiam, atque adeò virtutes omnes ſibi delegiſſe non immeritò dixeris; tùm Coſmi ſecundi, qui quidem ſuis populis imperans, vt optimus parens liberis, non magis magnus, quàm bonus vbiq; gentium audiuit, nulliq; extitit religione, ac munificentia ſecundus: ſed nunc (proh dolor) nimis immatura morte chriſtiano Orbi ereptus bonis omnibus maximum ſui deſiderium, noſq; in ſummo luctu reliquit, Princeps ſanè vt imperio, ità longè maiore æuo dignus, cuius obitus præproperus, vel raptus potius, vt animos omnium, ità ſuæ Hetruriæ pacem perturbaſſet, niſi poſt ſe Ferdinandum liberorum primum, hoc autem nomine ſecundum, in ſpem tanti imperij genitum reliquiſſet, in quo quamuis tenello Coſmi primi gloria, Franciſci iuſtitia, Ferdinandi aui prudentia, & Coſmi parentis religio, ceteræq; horum omniũ virtutes ità elucent, vt hi omnes in hoc vno quodammodo viuere dici

poſſe

poſſe videantur; & denique, ſi parua magnis, ut cum vate Mantuano loquar, componere licet, felix dici, & poteſt, & debet Guaſtallenſis populus, qui à Ferdinando Principe, qui quidem vitæ integritatem cum morũ ſanctitate coniunctam poſſidet, ipſiusq; non tam dominus, quam pater eſt, ità regitur, vt in placidiſſima pace totus conquieſcat. At verò infelices ſunt Germania, Bohemia, Hungaria, & Palatinatus, quæ prouinciæ quondam florentiſſimæ fuerunt, nunc autem cum pacis tranquillitate careant, in ſummo luctu, & ſqualore, maximaq; rerum omnium perturbatione verſantur; vbi idcirco ſunt bellorum turbine attritæ opes, fractæ vires, acciſæ diuitiæ, turbatæ diſciplinæ, debilitatæ artes, ſublatæ honeſtæ voluptates, deletæ bonæ conſuetudines, &, quod omnia mala exſuperat, magnam partem collapſa religio, quæ niſi ab Imperatore Ferdinando, qui præ cæteris Auſtriacis Principibus, quorum incredibile exſtat, ſemperq; extitit in catholica religione amplificanda ſtudium, ad reſtituendam religionem natus eſt, vel certè nobis diuinitus datus, in ſuum antiquum ſplendorem reſtituatur, profectò verendum eſt, ne cum tanta, tamque fœda ſit hæreticorum colluuies, atq; peſtis, huiuſce tam peſtiferi mali contagione pars ſincera, vt ille ait, trahatur. Quod ſi Reſp. & Principes chriſtiani orbis Imperatorem Ferdinandum, quo nullus aptior chriſtiano Orbi obtingere poterat, cuius humeris tam benè Romanum Imperium ſederet, ad exemplum Philippi tertij Hiſpaniarum Regis, qui ſuorum maiorum exempla ſecutus acerrimus eſt catholicæ fidei propugnator, & Coſini ſecundi magni Hetruriæ Ducis, qui ſuorum patrum, qui catholicam religionem ſemper promouere ſtuduerunt, veſtigijs inſiſtens rem chriſtianam ſua potentia auxit, ſuis opibus,

atq; armis iuuarent, dubium non eſſet, quin & ipſa religio in ſuum nitorem reſtitueretur, & chriſtianus orbis, ſublata bellorum tempeſtate, in maxima tranquilitate conquieſceret. Sed ò tempora, ò mores! Sicuti aliàs ſemper fuere, quos alterius magnitudini inuidentes adeò rapuit æſtus ſui affectus, vt de communi Chriſtianorum bono non laborauerint; ità hodie ſunt, qui rei ſuæ ſic ſtudent, ut rem chriſtianam communem non curent. Sed quid ago? quo ego imprudens, & caſui vicinus ſum prouectus? cur tam vaſtum mare, in quo periculum eſt, ne facto naufragio peream, nauigo? itaq; ſatius eſt, vt vela orationis contrahens, me ipſe in portum recipiam: ità enim fiet, vt ego veſtri fauoris aura non abutar, & vos veſtra cum præſentia, tum attentione mihi fauiſſe non pęniteat. Quod ego vos per fortunas veſtras, & veſtræ patriæ felicitatem primum oro, atq; obſecro, viri Guaſtallenſes, vt cum planè cognoueritis, pace nihil præſtantius, ac dignius, nihil melius, ac maius, nihil honeſtius, atq; vtilius, ipſamq; non modò animatis, verũ etiam inanimatis rebus iucundam eſſe, & omni Reip. omni populo, omni ætati, omni ſexui, omni ordini maximè neceſſariam, atq; vno, vt verbo abſoluam omnia quæcunque ſunt, pacis adminiculo ſtare, eam pacem, quam nũc Dei, & Principis veſtri munere habetis, omni ſtudio, ope, atq; diligentia retineatis: &, quoniam ſæpe fit, vt ſicut ex minima ſcintilla in aliqua domo neglecta maxima excitantur incendia, quæ publico officiant; ità ex minimis diſcordijs maximæ oriantur inimicitiæ, quæ publicam pacem perturbent, ſi quando inter vos diſcordiæ cooriantur, eas ità è veſtigio tollatis, vt ne vllum quidem veſtigium relinquatur; deinde vt Deum Opt. Max. aſſiduis votis precemini, vti Ferdinandum Principem veſtrum,

ſtrum, quo ne voto quidem vllum meliorem optare liceat, quiq; præcipuum eſt veſtræ felicitatis columen, incolumem ſeruet, conſeruetq; Cæſarem eius primogenitum, alteram ſpem omnium veſtrum (in quo tamquàm in ſubacto ſolo cum ſparſa ſint paternæ benignitatis ſemina, dubium nõ eſt, quin vberrimos iucundiſſimæ benignitatis fructus ſuo tempore editurus ſit, cuiùsq; filiũ Ferdinandum, ſi ex pueruli oris lineamentis conijcere licet, & ex vultu futura diuinare, vt Ferdinandi abaui hoſtilium turmarum terroris, belliq; fulminis, qui domi foriſq; clarus nuſquam pedem extulit, quin illum gloria quaſi vmbra perpetuo comitata ſit, nomen gerit, ita rebus præclarè gerendis, illius non abſimilem fore affirmare auſim) ceteroſq; liberos, qui cum ſint optimi Principis non degeneres filij, & admirandæ illius auitæ virtutis haud indigni hæredes, pro virili iſtam veſtram quietem nunquam non tuebuntur: atq; poſtremo id, quod omnium primum eſt, ſacroſanctam religionem pacis altricem, ſic interius colatis, vt, cum Deo vos ad æternam patriam vocare viſum erit, cęleſtem illam Hjeruſalem, vbi eſt proprium, ac perpetuum pacis domicilium, perpetuò incolere, & vera, ſolida, atq; omnibus numeris abſoluta pace æternûm frui poſſitis.

D I X I.

Z
1034,24

956695

1034.24

LVAREZZA s.a.s.
STAURO
ervi 5 - Roma

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma